XLIV.

Quaestiones Theocriteae.

I.

De Ptolemaei et Hieronis Theocritei temporibus.

Veterum grammaticorum testimoniis quibus quo tempore vixerit Theocritus nostrae traditur memoriae num tribuendum sit multum cum iure dubitari possit illosque verisimile sit omnia neglegenter et parum diligenter ex eius idylliis alia aperte hausisse, alia coniecturis consecutos esse [1]), nihil restat aliud quam ex iisdem carminibus aetatem poetae accuratius a nobis ipsis definiri. Quam ad rem idyllia XVI (Gratias) atque XVII (Ptolemaei laudes) summi esse momenti inter omnes constare puto. Inquiramus igitur quo tempore haec idyllia conscripta sint. Atque ita commentationem nostram liceat instituere, ut idyllii XVII tempora prius in quaestionem vocemus, non quod opinione ulla praeiudicata, ut credamus alterum altero prius esse compositum, adducti simus sed quia id. XVII ad tempus explanandum aliquanto plures, aliquanto quoque ad intellegendum difficiliores exhibet locos quam id. XVI. Illius argumentum et dispositio haec fere sunt. Poeta enim, id quod e duodecim versibus prioribus, quibus, ut ita dicam, propositio continetur thematis, apparet, Ptolemaei Philadelphi Aegypti regis laudes celebraturus est. Quod consilium ut exsequatur primo loco *τὸ ἀπὸ τοῦ γένους*, ut verbis utar Buecheleri [2]), qui hoc modo et ordine rhetores etiam pedestres laudationes progredi voluisse annotavit, deinde cum hac laude coniunctum *τὸ ἀπὸ τῆς γενέσεως* complectitur.

[1]) cf. Hauleri de Theocr. vit. et carm. diss. p. 16.
[2]) Mus. Rhen. XXX p. 57.

Itaque versibus 13—80 non modo Ptolemaeus Lagi et Berenice, quorum Philadelphus erat filius, laudantur, sed etiam quo modo et quo loco, quantis cum miraculis et quam bonis auspiciis natus sit ipse Philadelphus, narratur. Altera Encomii parte Ptolemaei Philadelphi et potentia (81—94) et opulentia auctoritasque (95—105) munificentia liberalitasque (106—121) pietas denique erga parentes (121—127) luculente describuntur. Adicit poeta (128—134) laudes Arsinoes Philadelphi sororis eiusdem et coniugis quorum conubium comparat cum Iovis Iunonisque „nefariae obnoxius adulationi“ (Buecheler). Perorat postquam professus est se pro sua parte Ptolemaeum non secus ac priores heroas (ἡμιθέους) exornatum verbis non contemnendis praedicaturum esse.

Totam quaestionem de versibus 86—92, unde plurimi profecti sunt interpretes, denuo ab ovo retractare non est huius loci, praesertim cum quid de illis iudicem alio iam loco [3]) exposuerim. Paucas tantum quaestiunculas quasi praecursorias hic praemittam, ut fundamentum temporis e rebus gestis constructum iacere liceat.

1. De Magae defectione.

Ptolemaeus II Philadelphus cum a patre regnum acciperet, praeter Aegyptum, ad quam Arabia Petraea, pars Aethiopiae, Palaestina, Coele Syria pertinebant [4]), et Cyprum, etiam Cyrenaicam obtinuit [5]). Administrandam tradiderat Cyrenaicam Ptolemaeus I post Ophellae mortem Magae privigno, qui inde usque ad Philadelphi regnum sub Ptolemaei I auspiciis Cyrenae praefuit [6]). Magam vero a Philadelpho fratre defecisse non solum nummis demonstratur [7]), qui litteris *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΑΓΑ* inscripti sunt, quamquam huic argumento non multum tribuendum est, sed etiam scriptores testantur [8]). Quod quo tempore factum sit, plane incertum est. Plurimi bellum Cyrenaeum gestum esse existimabant brevi tempore ante Magae mortem [9]).

[3]) Carm. fig. Gr. p. 57 not. et Ind. Philol. XVII p. 128—129; cf. Rannow Studia Theocritea p. 15 sq. Gercke Stud. Alexandrin. Mus. Rhen. XLII p. 604 sq.

[4]) cf. Koepp Mus. Rhen. XXXIX p. 213—215.

[5]) Droysen Hellenism.² III. Epigon. I p. 51 et p. 56 sq.

[6]) ἀξιωθεὶς ἐπιτροπεύειν Κυρήνην Pausan. I 7, 1; cf. Gerck. Mus. Rhen. XLII 265.

[7]) cf. Mueller Numismatique de l'Afrique I p. 148 nr. 382; Catalogue of greek coins in the British Mus. The Ptolemies, kings of Egypt by Reginald Stuart Poole tab. VI nr. 7 et 8, cf. p. XXXI et p. 38. Caput femineum in averso latere videtur fuisse feminae cuiusdam regiae, fortasse Berenices Ptolemaei I uxoris (non Libyae), quae ornatu et capillis Isidis deae in nummis illis induta est.

[8]) cf. Droysen p. 269—270.

[9]) v. Thrige Res Cyren. p. 226 not. 22.

Sed huic rei obstat Agatharchidae testimonium ap. Athen. XII 550 postremo regni sui tempore ἀπολέμητον fuisse Magam [10]). Plus aliis rebus adiuvamur. Magas enim sola defectione ita non contentus erat, ut sui regni fines propagare conaretur Aegyptumque ipsam aggrederetur. Quod ut susciperet, aut Ptolemaei Soteris morte (a. 283) permotus est aut quod Philadelphum aliis bellis occupatum videbat. Itaque fines prope Catabathmum transgressus Paraetonium petivit [11]). Ptolemaeus autem se ad Cyrenaeorum impetum repulsandum paravit [12]). Tum vero subito a tergo contra Magam, auctore fortasse Philadelpho, Marmaridae, quae gens Libyum nomadum erat, seditionem fecerunt. Quo nuntio allato Magas Cyrenas redire coactus est. Cum vero Ptolemaeus eum persequi studeret, quattuor fere milia Gallorum (Galatarum), qui in eius exercitu erant, Aegyptum occupare constituerunt. De qua re Ptolemaeus certior factus eos in desertam Nili insulam deduxit, ubi omnes ad unum vel vulneribus mutuis confossi vel fame vexati perierunt [13]). Ceterum ex Callimachi verbis vs. 187 βασιλῆος ἀέθλια πολλὰ καμόντος elucet illud bellum non ita brevi tempore confectum esse. Hac Gallorum commemoratione adductus Droysenus p. 270, 2 bellum post annum 280 factum esse putat. Scholiasta enim ad Callimachi versus ab Antigono Gallos ad Ptolemaeum missos esse docet, id quod non ante annum 276 (ol. 126, 1) fieri potuit [14]). Postea vero (a. 274) Galli Antigono ipsi necessarii erant propter bellum a Pyrrho illatum [15]). Ac re vera invenimus robur exercitus eius tum fuisse Gallos mercenarios [16]). Et quoniam bellum cum Maga non multo post Ptolemaei Soteris mortem gestum videtur esse, circa annum 280 (ol. 125, 1) usque ad annum 275 (ol. 126, 2) gerere pergebant Philadelphus et Magas. Hoc igitur bello ancipiti Marte pugnabatur; neuter enim victus est, neuter superior discessit. Neque temere suspicari possumus Ptolemaeum in bello perseverare noluisse, ne Syrorum regi occasionem daret Coeles Syriae interea recuperandae. Inde autem per decem fere annos et fontes lapidarii et scriptores nos deficiunt. Quare duo bella Cyrenaea statuenda sunt, alterum, quod exposuimus, nihil fuit nisi defectio, qualis post cuiuslibet regis mortem solet fieri, alterum quod simul cum Syrio geritur, re vera est bellum expugnandi causa susceptum. Minime enim neque ullo Pausaniae verbo adducimur, ut post Galatas interfectos statim a Maga An-

[10]) Wilamowitz Antigon. Caryst. p. 219 not. 40.
[11]) Thrige p. 225.
[12]) Pausan. I 7, 2.
[13]) Pausan. l. a., Callimach. hymn. Del. 184—188.
[14]) cf. Rannow p. 42—44, Buecheler Mus. Rh. XXXIX p. 277.
[15]) cf. Philol. Anzeig. XVII 130, Susemihl Hist. litt. Alexandr. I p. 360 not. 61.
[16]) Iustin. XXV 3; Droysen p. 202—204, Koepp p. 212.

tiochum sollicitatum esse ad bellum cum Ptolemaeo gerendum credamus, atque ea quae Pausanias I 7, 2 extr. narrat, ab eis rebus, quae inferius illustrantur, longo temporis intervallo separata fuisse probabile est, praesertim cum Pausanias multas res et plane diversas et temporum spatio distantissimas ibi temere confudisse videatur. Eo autem, quod inter prius bellum Cyrenaeum (Magae defectionem) et inter bellum Syrium Cyrenaeumque est temporis spatio Ptolemaeus Philadelphus aliis vel rebus in Graecia et Asia gestis vel nuptiis cooptationeque occupatus aut impeditus videtur esse; nam propter copiarum et pecuniarum magnitudinem et navium multitudinem non ita magno negotio Cyrenaicam iterum sibi subicere facile potuit; a Maga interea Marmaridarum gentem subactam aut pacatam esse apparet.

2. De Philadelphi bello Syrio.

Constat omnes paene res a Ptolemaeis prioribus ea sola de causa gestas esse, ut Syriae nocerent, ipsi vero regnum firmarent; magna iam belli contentio et invidia inter Aegyptum et Syriam exorta sub Ptolemaeo I rege cerni potest. Quoquo enim potuerunt modo Ptolemaei nitebantur, ut cum totius orbis terrarum tum maxime Indiae Arabiae Aethiopiae commercium non per Syriam vel Phoenicen sed per Aegyptum fieret, quare Alexandria iam Ptolemaeo II regnante frequentissimum omnium emporium erat [17]. Phoenices enim ex quo tempore Tyrus ab Alexandro expugnata erat et cum maxime bellis postea gestis afflicti essent, maiorem veteris in commercio auctoritatis partem amiserant. Itaque tum omnes civitates, quarum vis in commercio potissimum erat posita, cum Ptolemaeis se coniunxerunt, ut Rhodii cum Ptolemaeo I, cum Philadelpho Syracusani. Qui et ipse circa annum 273 Romanorum amicitiam petivit et obtinuit [18]. His foederibus quin contra Syriam egerit Ptolemaeus, non est dubium. Accedit ea quoque causa quod Syriae regiones maritimas, quibus Asia cum Africa coniungitur, in Aegyptiorum potestatem redigi Ptolemaeorum plurimum interfuit. Nam cum Perdiccas et Antigonus [19] illas terras suae dicionis fecissent, Aegyptum ipsam aggredi potuerant. Quod ne iterum accideret, Ptolemaeus I Perdicca interfecto eas appetebat, cum Cyprum nondum cepisset, ut imperium maritimum sibi pararet [20]. Antigonus vero illas terras retinuit, dum pugna ad Ipsum facta a. 301 mortuus est. Atque postea etiam Ptolemaeus I non desiit

[17]) cf. Droysen p. 55, quem praeter Champollion-Figeac Annales des Lagides II Paris 1819 praecipue secutus sum.
[18]) Droysen p. 183; Mommsen R. G. I p. 429, Champollion p. 22 sq.
[19]) Droysen Diadoch. I 127 et II 36.
[20]) Droysen Ep. I p. 59.

eas sibi assumere [21]), sed si Droysenum audimus, ei non contigit, ut eas filio suo hereditarias relinqueret [22]), Philadelphus autem, ut spem recuperandae Syriae Coeles abiceret, tantum afuit, ut contra omnibus viribus niteretur, ne certam sedem ibi collocarent Syrorum reges. Quam ad rem Iudaeorum qui proxime habitabant animos sibi studuit conciliare [23]). Neque hac solum ratione sed etiam vi atque armis Philadelphus illa Syriae parte potiri conabatur circa annum 280 vel 278 [24]). Quidquid de interpretatione tituli Sigei, imprimis l. 7 *τοὺς δ' ἐπιθεμένους τοῖς πράγμασιν ἐπεξελθὼν καθάπερ ἦν δίκαιον ἀνακτήσασθαι τὴμ πατρῴαν ἀρχήν* (scil. Antiochus) iudicatur, id quidem nobis sine ulla dubitatione videtur statuendum Philadelphum, si non ipse praesens Syriam tum aggressus sit, at certe totius rei non expertem fuisse, sed pecuniis sive alio quolibet modo eos qui illas regiones incolebant sollicitasse, ut contra Antiochum seditionem facerent. Ei enim illa Syriae perturbatio, cuius in titulo fit mentio, utilitati fuit, quia posterius Damascum in eius potestate invenimus. Hoc vero fieri Antiochum passum esse, Damascum sibi eripi, neque quidquam contra Philadelphum usque ad annum 266 egisse, num credibile est? Sed res facilius absolvi potest. Recte enim Dittenbergerus ipsa tituli verba eiusmodi esse contendit, ut de seditionis auctoribus puniendis potius quam de externo hoste arcendo dici appareat. Koeppius vero [25]) Palaestinam et Coelen Syriam Philadelpho a patre hereditarias relictas esse clare contra Droysenum comprobavit. — Eodem fere tempore quo titulus Sigeus positus est (a. 280—278) fossam illam quam olim Necho (Herodot. II 158, 159; IV 42) a mari rubro ad Nilum et mare mediterraneum navigabilem duxerat, navibus aptam reddidisse Ptolemaeus videtur, ut et commercio navigationique et ad Aegyptum a Syriae et maris rubri partibus defendendam utilissima esset [26]). Hic fuit rerum status

[21]) Polyb. V 34, 6 et 67, 10.

[22]) Droysen Diad. II p. 258, 2; Epig. I p. 60.

[23]) Ioseph. Antiq. XII 2, 1; Polyb. V 86, 10.

[24]) cf. Droysen Ep. I p. 255, 256 not. 1; Hicks Manual of Gr. hist. inscript. p. 279 nr. 165, Dittenberger Sylloge inscr. Graec. nr. 156.

[25]) Mus. Rhen. XXXIX p. 213—215.

[26]) Quo tempore haec fossa restituta sit, Droysenus Ep. I p. 55 al. in medio relinquit; at in stela quadam Heroonpolitana (Wiedemann. Philolog. N. S. I p. 83) narratur Philadelphum anno 6 (= 280—79) Heroonpolin venisse ibique i. e. in finibus Aegypti, qui ad orientem in Syriam spectant, templum dedicasse, aquae ductus construxisse. Ergo recte tempus me definivisse, cum titulum nondum cognovissem, mihi videor; miror vero, quod haec res Wiedemannum fugit, qui circa annum 273 fossam restitutam esse l. a. p. 85 opinatur, deceptus falsa Koeppii de bello Syrio sententia. Inconsulte igitur et incaute fossae aedificationem coniunxit cum expeditione quadam in Aethiopes a Ptolemaei duce facta eo consilio, ut locum ad elephantos venandos quaereret. Theocriti vero verba XVII 87 *κελαινῶν τ' Αἰ-*

multo ante bellum Syrium, quod alia re excitatum est. Apollonius enim Aphrodisiensis l. XVII Καρικῶν ap. Steph. Byz. s. v. Ἄγκυρα narrat Philadelphi copias in Asia cum Mithridate et Ariobarzane Ponti regibus dimicasse. Cum Ariobarzanes simul cum patre nominetur, qui a. 266 mortem obiit [27]), adducimur, ut eum iam cooptatum atque destinatum qui succederet patri esse statuamus atque id quidem non multo ante patris mortem. Huic bello annos 268—266 altera quoque de causa attribuere nobis licet. Sotades enim poeta Cauni, quod oppidum Patroclus Philadelphi dux ante annum 266 tenebat, scilicet ut copias pedestres adiuvaret [28]), interfectus est, cum non solum in Arsinoen sed etiam in Belistichen meretricem regiam, quae ol. 128, 1 = a. 268 ludis Olympiis vicerat (Pausan. V 8, 11), scilicet post hanc victoriam mala fecisset carmina [29]). Statim post nuptias Sotadem male dixisse, statim deinde comprehensum esse ut statuamus nulla re cogimur [30]). Quid vero Aegyptii in Asia voluerint, facile perspici potest. Arsinoe enim Philadelphi uxor olim a Lysimacho marito Heracleam, Tium, Amastrim, Cierum, Cassandream, Ephesum acceperat sed posterius amiserat [31]). Ptolemaeus igitur spem recipiendae dotis illius non modo non abiecerat, sed etiam copias miserat, ut armis sibi illas urbes vindicaret. Tum vero Antiochus, cuius regno iam a meridie per Ptolemaeum finitimum imminebat periculum, minime sinere debuit etiam a septentrionibus imperium suum Aegyptiorum praesidiis, quae certe in oppidis Ponti recuperatis collocassent, circumcludi. Simul Magas bonam belli cum Philadelpho redintegrandi occasionem tum sibi esse oblatam existimabat. Quid igitur mirum, quod cum paulo ante Apamam sive Arsinoen Antiochi filiam [32]) in matrimonium duxisset, tum etiam publice foedus cum illo iniit. Sed cum Antiochus bello indicto Aegypti fines aggredi frustra conaretur, a Ptolemaeo, qui prior bellare coeperat, copiae praedandi causa in eius fines dimissae sunt [33]). Quid praeterea Ptolemaeo faciendum fuerit, luculenter exposuit

θιοπήων (ἀποτέμνεται) huc omnino non pertinent. Scilicet Philadelphus postquam fossam illam ex mari rubro in Nilum propter Coptum oppidum ductam perfecit, eam, ne Aethiopes Aegyptiorum cum Indis commercium turbarent mercesque interciperent, aut praesidiis aut interdum ad eos deterrendos irruptione facta tutam ab illis reddidit.

27) Droysen Epig. I p. 270 not. 3 et p. 273.

28) Droysen p. 268 not. 3 et p. 272.

29) cf. Suid. s. v. Σωτάδης, Athen. XIII p. 576, Plut. Erot. IX 9.

30) Buecheler Mus. Rh. XXX p. 56 extr., Wiedemann ibid. XXXVIII p. 388.

31) cf. Hauler. de Theocr. vit. p. 21, Droysen Diadoch. II p. 321, Epigr. I p. 270 not. 3, Buecheler p. 57.

32) Pausan. I 7, 3 ἤδη γυναῖκα ἔχων Ἀπάμην, Iustin. XXVI 3, 3, Thrige p. 226 § 60.

33) Pausan. l. a., Champollion-Figeac p. 27.

Droysenus p. 271 et 274. Tamen praeter opinionem haec omnia videtur neglexisse; erat enim occupatus bello Chremonideo, quod eodem tempore gerebatur. Fossam vero Nechonis tum classe et militum praesidiis custoditam fuisse non secus ac totum isthmum inter mare Arabicum et medium veri simile est, quare Antiochus ne Alexandriam peteret impeditus est. Qui etsi Aegyptum ipsam undique tutam aggredi non poterat, Ptolemaei etiam incursionibus fortasse deterritus, tamen Damascum cepit. Magas interea amplius progressus (Droysen. p. 274 not. 2) Paraetonium expugnavit ac postea retinuit. Ptolemaeus autem, cui ab oriente copiae Antiochi pedestres timendae non erant, Magae obviam ire non ausus, quod a Cyrenaica in Aegyptum versus vasta erant deserta (Thrige p. 15), cum exercitu, ut videtur, in ea Libyae parte, quae Aegypto ab occidente finitima hanc terram a Cyrenensium finibus dividit, versabatur ut exspectaret, si Magam longius progredientem posset excipere. Sed non multo post uterque de bello destitit. Magas enim „ante infirmitatem“ [34]) ad finienda cum Ptolemaeo fratre certamina Berenicen unicam filiam Euergetae filio illius despondit (cf. Droysen p. 275 not. 1). Itaque pax constituta est anno 263 (Hauler p. 19). Antiochus enim ol. 129, 3 = 262/1 mortuus est. Brevi tempore ante ab Eumene ad Sardes bello Pergameno victus est (Strabo XIII p. 624), id quod nisi ol. 129, 2 = 263/2 factum esse non potest, quia Eumenes autumno anni 263 Philetaero successit [35]). His igitur rebus bellum cum Antiocho diremptum est; Ptolemaei vero omnino non interfuit in bello perseverare, cum eodem tempore (266—260) in Graecia bellum gereretur Chremonideum, in quod omnibus viribus incumbere debebat. Neque enim tum periculum erat Syrio bello ne magnum damnum acciperet, praesertim cum se omnia facile reficere posse posterius speraret. Pax vero utique facta est ante pugnam ad Leucollam (ca. 263—260), quare Koeppii dubitatio p. 218 tollitur. Priori autem Magae defectioni, quam ab anno fere 280 (ol. 125, 1) usque ad annum 275 (ol. 126, 2) factam esse ostendimus, cum hoc bello Syrio-Cyrenaeo nihil iam est commune, nisi forte iustam pacem temporis spatio intra utrumque bellum interiecto desideramus. Sed etiamsi post illam defectionem pacem non conciliaverunt inter se Philadelphus et Magas, tamen per decem annos (275—266, fortasse etiam plures, si Gerckii observationes Mus. Rhen. XLII p. 262 sq. sequi liceat) alter alterum bello non lacessivit, alter cum altero in pace re vera erat [36]), dum post annum 266 cum Syriae rege

[34]) Iustin. 26, 3, 2; cf. et. 16, 2 de Ptolemaei morte: „ante infirmitatem“.

[35]) Droysen p. 277 not. 3 et p. 278.

[36]) Quibus de causis, nihil refert; uterque enim aliis rebus atque iisdem maioribus occupatus erat, ut Ptolemaeus Gallorum rebellione, deinde rebus domesticis, Graecis, Asiaticis; Marmaridarum bello Magas.

bello exorto Magas tempus belli redintegrandi adesse existimavit. Quod si quis Theocriti verba XVII 86 et 87 Φοινίκας (Palaestinae et orae maritimae), Ἀρραβίας (scil. Petraeae, cf. Iustin. XIII 4), Συρίας (eius regionis quae ad meridiem spectat seu Coeles Syriae inter Libanum et Antilibanum sitae), Λιβύας (regionis inter Aegyptum et Cyrenen, Marmaricae) ἀποτέμνεται [37]) ad bellum spectare opinetur, is facere non potest quin concedat, tum idyllii XVII compositionem cadere in annum 264 (cf. CFGr. p. 57 not. 11) i. e. ante annum 263, quo bellum pace facta compositum est, et post annum 266/5, cum Philadelphus Magae, qui irruptionem prior fecerat, obviam iret; (Gratias in annum 265); Cyrenaica vero inter Ptolemaei provincias apud Theocritum non commemoratur [38]); eam enim Philadelphus nunquam occupatam tenebat, sed tantum Libyae partem ei regioni finitimam.

Fred. Koeppium, qui Mus. Rhen. XXXIX p. 209—218 priore tempore haec bella fuisse opinatus est, bene iam refutavit Rannow. p. 6 et p. 14—15. Item Wiedemanno M. Rh. XXXVIII p. 391—392 non contigit, ut demonstraret inscriptionem Saiticam de rebus Ptolemaei anno 20 (= 266/5) gestis ad Magae defectionem Gallorumque seditionem pertinere; ibi enim de adversariis Asiaticis verba fieri ipse declarat. Ceterum de bellis a Philadelpho tum gestis nihil ex titulis Aegyptiis colligi potest, nam accurata bellorum temporis significatio deest; in altero autem titulo (stela Mendesia) [39]) res commemorantur, quae anno Philadelphi 15 = 270 (l. a. p. 37 § 11) et anno 21 (p. 38 § 19), variis igitur temporibus, geruntur; deinde verba tituli, quae ad bellum spectant [40]), plane obscura et identidem lacunis interrupta esse Revilloutius testatur (cf. etiam Koepp. p. 217, 1). Quae vero Gerckius M. Rh. XLII p. 262—267 protulit de Magae regno, quem anno 300—251 aut 296—247 Cyrenaicae praefuisse vult, iis, praeterquam quod ut incertissima nec firmis argumentis probata in dubium vocari possunt, et defectionis et belli Syrii tempora minime tanguntur, cum haec de rebus plane diversis aliisque atque de initio eius regni morteque regis dependeant, nisi forte de tempore sponsalium, quae inter Euergetam Berenicenque facta sunt, dubitatio oriri potest. Tunc vero Cyrenenses usque ad Magae mortem easdem partes contra Aegyptios sustinuisse videntur, quas praesenti tempore, ut exemplum afferam, Czernagoraei in Turcas, Tonkinenses vel Sinenses

[37]) De Aethiopicae expeditionis tempore nihil constat, nisi eam cum fossae restitutione coniungas; ceterum cf. Diodor. I 37, 5, Droysen p. 58 et p. 307—308.

[38]) Wilamowitz Antig. Caryst. p. 219 not. 40.

[39]) Ephem. ling. et antiq. Aegypt. 1875 p. 33.

[40]) Revue Egyptol. I p. 183 extr.

in Francogallos. — Sed adhuc fixa manent huius belli tempora, quae Droysenus p. 270 sq. constituerat.

3. De Philadelphi conubiis.

Philadelphum anno 283 cum regnum solus obtineret, nondum Arsinoen priorem, Lysimachi filiam, in matrimonium duxisse, Philadelphi nummis docemur, in quibus Ptolemaei Soteris patris et Berenices matris et ipsius capita percussa invenimus [41]). Qui nummi non multo postquam imperium adeptus est, cudebantur [42]). Quod si ita non esset, etiam uxoris Philadelphi caput his nummis effictum esset. Nam post Soteris Berenicesque mortem et apotheosim ac sine dubio per longum temporis spatium nummi cudebantur, quorum latere adverso Soteris et Berenices, Philadelphi et Arsinoes II sororis capita averso oculis nostris proponuntur [43]). Iure igitur Champollion (p. 13, 14, 19) Arsinoen Lysimachi filiam a Philadelpho uxorem non esse ductam nisi anno 281 dicit. Hanc autem ei tres liberos (Euergetam, Lysimachum, Berenicen) peperisse schol. Theocr. XVII 128 testatur. Ergo etiam anno 278 Philadelphi uxor erat. Eodem fere tempore Arsinoe II Philadelphi soror uterina in Aegyptum pervenit.

Hanc enim Lysimachus Thraciae rex olim a Ptolemaeo Lagi in matrimonium acceperat, cum contra Seleucum foedus inter se inissent [44]), itemque Agathocles Lysimachi filius ex uxore priore natus Lysandram alteram Ptolemaei ex Eurydice filiam uxorem iam antea duxerat [45]). Arsinoe autem ne Agathocles privignus post Lysimachi aetate iam provecti mortem regnum obtineret, Lysimacho fortasse conscio, eum de medio sustulit [46]). His insidiis Lysandra ad Seleucum confugere coacta est, quo in itinere eam Meleager, Alexander Lysimachi filius, Ptolemaeus Ceraunus sequebantur. Hic enim Ptolemaeus ex eadem Eurydice qua Lysandra natus, legitimus Aegypti heres, cum tamen regnum non adeptus Philadelpho fratri natu minori cessisset, iratus ad Lysimachum et Lysandram sororem se contulerat. Interea Philadelphi cooptatione in Aegypto Ptolemaeo Lagi vivo, quoniam Ceraunus Alexandria exierat, res non turbatae sunt [47]). Ptolemaeus autem Ceraunus et Lysandra post-

[41]) Mionneti catalog. num. VI nr. 115 et 116.
[42]) Champollion-Figeac p. 10 C'est à l'époque de son avénement etc.
[43]) Vaillant histor. Ptolem. p. 40, Philadelphi; Mueller Numismatique de l'Afrique Supplem. p. 25 et 26, Droysen Diadoch. II p. 318 sq., Poole Catalogue of Greek coins in the Brit. Mus. p. XXXVIII et tab. VII 1—4.
[44]) Droysen Diad. II 236, Iustin. XV 4 extr.
[45]) Pausan. I 9, 6, I 10, 3.
[46]) Trog. Prol. XVII, Iustin. XVII 1, 4, Pausan. I 10, 3.
[47]) Iustin. XVI 2, 7—9; cf. Callimach. hymn. in Iov. 58—66; Droysen Epig. I p. 264—265.

quam ex Thracia fugerunt, Seleuco persuadebant, ut Lysimacho bellum indiceret. Sed septem mensibus post huius mortem († 281) Seleuco victori per insidias occiso Ceraunus Macedonia potitus Arsinoen in matrimonium duxit [48]). Antea iam per litteras Philadelphi fratris animum veterum iniuriarum se oblitum esse professus sibi conciliare studuerat (Iustin. XVII 2). Arsinoe autem Samothracen se recepit [49]). Ceraunus vero paulo post a Gallis interfectus est [50]). Meleager qui fratri successit, per duos deinde menses regnum obtinuit; post eum alii, dum Antigonus Gonatas Demetrii Poliorcetae filius a. 277/6 Macedonia potitus est [51]).

Hic igitur cum esset rerum status, Arsinoe II in Aegyptum venit, certe post Cerauni mortem (Champollion-Fig. p. 18). Lysimachus ceciderat a. 281, septem mensibus post Seleucus interfectus est, Ceraunus deinde Macedoniam occupat (Trog. Prol. XVII); tum bella cum Pyrrho, Antiocho (Trog. ibid.), Eumene, Antigono (Iustin. XVII 2, 2) gerit. Sequitur bellum inter Antigonum Gonatam et Antiochum in Asia gestum (Trog. XXIV, Iustin. XXIV 1, 1), Cerauni bellum Illyricum et cum Ptolemaeo Lysimachi filio gestum (Trog. XXIV), postremo conubium cum Arsinoe, quae paulo post Samothracen abiit, cum Ceraunus a Gallis occideretur. In Aegypto interea Ptolemaeus Soter moritur, Philadelphus, qui ei a. 283 (cooptatus est a. 285) succedit, Argaeum et postea Meleagrum, qui Cyprum sollicitabat, interficit (Champoll. p. 17); Demetrium Phalereum, qui patri regis suaserat, ut Ceraunum legitimum regni heredem cooptaret, in vincula conicit (Diog. Laert. V 5, 8); anno 280 vel 278 eae res geruntur, quae titulo Sigeo commemorantur, Nechonis fossa restituitur; eodem tempore Magas deficit. Omnes illas res compluribus annis contineri quivis concedet. Postea demum Ptolemaeus rex de conubio cum Arsinoe sorore cogitare potuit, certe, ut minimum quod licet temporis spatium statuam [52]), post annum 277/6, quo tempore Arsinoe, quae anno 316 nata erat, quadragesimum fere aetatis annum agebat (Droysen. Epig. I p. 266 not. 1).

Quibus vero causis ut sororem in matrimonium duceret, Philadelphus permotus sit, praeterquam quod Aegyptiorum moris et religionis causa id fecit, Droysenus Epig. I p. 267—268 luculenter exposuit, quem Gerckius p. 274 not. 2 frustra refutare studet, cum ex titulo C. I. A. II 332 l. 15—19 a Ptolemaeo

[48]) Iustin. XXIV 2; Droysen Diad. II p. 338 sq.

[49]) Iustin. XXIV 3; cf. Benndorf Samothrace II p. 111 et 112.

[50]) Paus. I 16, 3, Iustin. XXIV 3, 3; Diodor. XXII 3; Droysen Diad. II 343—344.

[51]) Champoll. p. 5, Droysen Epig. I p. 194 not. 2, Wilamowitz Antig. p. 261.

[52]) cum Buechelero p. 57; cf. Gerckium p. 275.

Philadelpho totum bellum Chremonideum coniugis causa conflatum esse appareat.

Videamus iam, quid de termino, ante quem nuptiae factae sunt, iudicandum sit. Ac primum quidem e marmore Pario Olympiae invento [53]), in quo Callicrates Philadelphi et Arsinoes statuas Iovi dedicat, de tempore nuptiarum nihil colligi potest, Callicrates enim per totum Philadelphi regnum vixit [54]); veri autem non plane dissimile est statuas a Callicrate Olympiae dedicatas esse, cum initio belli Chremonidei (267/6) Philadelphus cum Atheniensibus et Lacedaemoniis foedus iniret, atque Callicratem legatum eius tum missum ad Lacedaemonios ut foederi faverent, in illo itinere etiam Olympiam venisse. Aptior ad tempus definiendum est titulus ille, qui Atheniensium decretum de foedere cum Lacedaemoniis et aliis populis faciendo continet [55]), ubi l. 15 sq. verba exstant *ὅτι βασιλεὺς Πτολεμαῖος ἀκολούθως τεῖ τῶν προγόνων καὶ τεῖ τῆς ἀδελφῆς προαιρέσει*. Pithidemus archon fuit ol. 128, 2 = 267/6 [56]). Praeterea Ptolemaeus, id quod supra expositum est, circa annum 268 copias in Asiam miserat, ut complures urbes, quas olim Arsinoe II possederat, in potestatem suam redigerent. Tum etiam Sotades interfectus est, qui in Ptolemaei conubium et in Belistichen vehementissime invectus erat. Nempe Ptolemaeus eum comprehendi iussit, ne si in conubium Graecis odiosum versus facere pergeret, cum ceterorum Graecorum, qui regi parebant, tum maxime Atheniensium animos a se abalienaret, praesertim cum regis plurimum propter Antigonum, brevi tempore ante bellum Chremonideum, interesset eos ab ipsius partibus stare. Quantopere vero Belistiche honorata sit a Philadelpho, docemur ab Athenaeo XIII p. 576 et Plut. Erotic. IX 9; sec. Pausan. V 8, 11 ea ol. 128, 1 = 268 Olympiae vicit. Itaque cum eo ipso tempore, quo maximis ista honoribus ornata erat, in illam etiam Sotaden versibus invectum esse probabile sit, carmina in Ptolemaei et Arsinoes conubium haud scio iam ante annum 268 composuerit [57]). Ceterum a Plutarcho (de ed. puer. c. 14 *πολὺν κατεσάπη χρόνον*) traditum est per multos Sotaden annos in vinculis tabuisse propter probrosa in nuptias carmina. Ergo Sotades antea Alexandriae fuerat, neque enim alio loco carmina eius omnino statim respecta essent; Alexandriam autem, ubi Ptolemaeus ipse morabatur, ubi templa Belistiches erant (Plut. Erot.

[53]) Dittenberger Sylloge nr. 152 p. 235–236.

[54]) Wilamowitz Antigon. Caryst. p. 88 not.

[55]) C. I. A. II 332; Dittenberger Sylloge nr. 163 p. 251 *ἐπὶ Πειθιδήμου ἄρχοντος*.

[56]) cf. Droysen p. 233 not. 2, Wilamowitz Antig. p. 251—253 al.

[57]) Mirum est, quod Haulerus ex illis rebus coniecit nuptias post hunc annum esse factas. De Sotadae versibus in Ptolemaeum et Arsinoen cf. Athen. XIV 621, Plut. Quaest. Conviv. IX 2 al.

IX 9), ubi nuptiae factae sunt, maxime attingebant. Videtur etiam ante conubium Ptolemaeo male dixisse (Athen. XIV 621), sed tum nondum supplicio punitus est, cum vero Alexandria effugisset, in conubium et in Belistichen invehi non desiit. — Restant comici cuiusdem versus ex Hypobolimaeo [58])

> *ἐγὼ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως τέτταρα*
> *χυτρίδι' ἀκράτου, τῆς τ' ἀδελφῆς προσλαβὼν*
> *τῆς τοῦ βασιλέως, ταῦτ' ἀπνευστί τ' ἐκπιὼν*
> *ὡς ἄν τις ἥδιστ', ἴσον ἴσῳ κεκραμένον* [59])
> *καὶ τῆς ὁμονοίας δύο* (sic Meinek. pro *διὰ*), *τί νῦν μὴ κωμάσω*
> *ἄνευ λυχνούχου πρὸς τὸ τηλικοῦτο φῶς;*

Ptolemaeus igitur rex et soror, quorum in salutem Graeco more ille quisquis erat homo iocosus quattuor meri pocula uno impetu bibit, nisi Philadelphus et Arsinoe uterina soror esse non possunt, — id quod Droysenus l. a. comprobavit — cui rei etiam illud *ἴσον ἴσῳ κεκραμένον* aptius videtur, utpote quod non modo in vinum sed etiam in conubium pertineat. Scriptos autem esse hos versus statim post Atheniensium illud decretum de foedere cum Lacedaemoniis bello Chremonideo faciendo (C. I. A. II 332) propterea veri simile est, quod et *ἀδελφῆς τῆς τοῦ βασιλέως* fit mentio non secus atque in decreto (l. 17) *τεῖ τῆς ἀδελφῆς προαιρέσει* — uxor enim regis Arsinoe consulto non appellatur — et illa concordia (*ὁμόνοια*) etiam in tituli versu 31 *κοινῆς ὁμονοίας γενομένης τοῖς Ἕλλησιν* et 34 *μεθ' ὁμονοίας* commemoratur [60]). Cadit igitur Ptolemaei conubium cum sorore, quantum quidem e Graecis testimoniis eruere licet, inter annos 276 et 268 [61]).

Ante conubium Callimachi hymnum in Dianam compositum esse, Gerckius p. 273—274 comprobasse mihi quidem videtur, non persuasit Wiedemanno (Philolog. N. S. I p. 82), sed hic, si non erravit, tamen totam causam difficiliorem reddidit ea re quod Philadelphi alterum bellum Syrium in censum rationemque vocavit Hoc enim bellum ullo tempore fuisse nemo testatur, ne Hieronymus quidem (Comm. in Daniel. c. XI), quo Droysenus unico nititur, cum ille nihil dicat nisi id Ptolemaeum bellis quam plurimis gestis ad molestum finiendum certamen filiam suam Antiocho uxorem dedisse. Reliquas res Droysenus, falsa interpretatione perductus, e Theocriti id. XVII 86 sq. repetivit.

[58]) Meineke Poet. com. frgm. III p. 494 = Kock Com. Att. fr. II p. 386 nr. 244 (Alexidis fr.); cf. Droysen. p. 268 not. 3.

[59]) cf Aristoph. Plut. 1132; comicorum fragm. ap. Athen. X 430 f, 431 a, b; XI 473 c (Strattid. fr.).

[60]) cf. etiam Bergk. Mus. Rhen. XXXV (1880) p. 259—260.

[61]) Etiam Menippus has nuptias videtur perstrinxisse, siquidem Luciani verba Icaromenipp. 15 *ἑώρων . . . Πτολεμαῖον μὲν συνόντα τῇ ἀδελφῇ* ad ipsum illum referre nobis licet.

Gerckius vero non omnis erroris absolvendus est, quia ὁμόνοιαν de concordia inter Arsinoen I et II usurpavit (permotus fortasse Callimachi versu III 133 οὐδὲ διχοστασίη τρώει γένος i. e. concordia in Ptolemaei domo viget). Hanc enim famosam concordiam non solum ad foedus Atheniense, id quod Droysenus p. 269 not. 3 mavult, sed etiam ad Ptolemaeum et Arsinoen II referendam esse illis versibus comicis declaratur.

Iam accedamus ad titulos Aegyptios, ut tandem totam quaestionem absolvamus [62]). His enim tempus nuptiarum multo certius definiri potest quam omnibus scriptorum indiciis. Propterea etiam Wiedemanno summa laus debetur, quod ad ipsum nuptiarum tempus constituendum primus Aegyptias papyros attulit et recensuit. Atque ex eo titulo, de quo Revilloutius (Not. Historic. de Ptolemaeis Rev. Egypt. I p. 183—186) disputavit, nihil novi comperimus; verba quorum praecipue nobis ratio est habenda in columnis VII, IX, X exstant. Ibi declaratur anno vicesimo (265) Ptolemaeum regem in Saitarum urbem, quam antea, quo bello nescimus, ab hostibus vastatam tum restitueret, venisse, ut Arsinoen reginam sororemque consecraret [63]) Praeterea in aliis titulis Ptol. a. 19 et 21 = 266 et 264 pictis Arsinoes canephores commemoratur [64]). In altero titulo, de quo Wiedemannus M. Rh. XXXVIII p. 388 sq. post Brugschium (Ephem. ling. et ant. Aegypt 1875 p. 33 sq.) egit, consecratio reginae Mendete in oppido facta narratur. Locorum, qui ad conubium pertinere videntur, verba sec. Brugschium haec sunt:

I (p. 34 fin.) aries amicus regiae filiae et regiae uxoris, reginae et terrae imperatricis Arsinoes.

II (p. 35) filia, soror, magna regis uxor, quae eum amat, divina Philadelphos Arsinoe.

III (p. 37 § 11) anno XV constituta est consecratio reginae.

IV (p. 38 § 19) anno XXI tuo regis iussu tituli insculpti sunt in nomen tuum, in nomen patris, in nomen divinae uxoris Philadelphi Arsinoes.

Locum gravissimum accuratius Wiedemannus repetivit: „Man „machte zu ihren Titeln die Fürstin, die Große der Ehre, die „Herrin der Anmuth, die Geliebte, die Schoene, welche em„pfangen hat die Krone von Ober- und Unteraegypten, welche „erfüllt den Palast mit ihrer Schoenheit, die Geliebte des hei„ligen Widders, die Ut'a (Priesterin des Widders), die Schwe-

[62]) cf. Wiedemann Mus. Rhen. XXXVIII p. 384 sq., Krall Studien zur Geschichte des alten Aegypten p. 21 sq. = Wiener Sitzungsber. 1883 CV p. 347 sq., Wiedemann Philolog. N. S. 1 p. 81—91; Revillout Revue Egyptologique I p. 10 sq. (impr. p. 11 not. 1), p. 183—186; Brugsch Ephem. ling. et antiquit. Aegypt. 1875 p. 33—40.

[63]) cf. Wiedemann M. Rh. XXXVIII p. 391.

[64]) Wiedemann p. 386 et 388; Krall. p. 23 = 349.

„ster des Königs, die große Gemahlin des Königs, welche ihn „liebt, die Fürstin beider Länder Arsinoe". „Im Jahr 15 im Mo-„nat Pachons ...." Sequi magnam lacunam, deinde narrationem de caerimoniis peractis. Brugschii sententiam in lacuna nuptias reginae expositas esse Wiedemannus iure reiecit. Hic vero ex ea inscriptione efficere studet conubium esse factum ante annum regis 15 = 270 (cf. et. Philolog I p. 81—82); quod quamquam aliis titulis confirmatur, tamen ex stela Mendesia colligi non debuit. Ermanus enim a. 1886 me docuit numerum anni non ad verba, quae proxime praecedunt, sed ad ea quae insequebantur, lacuna autem deperierunt, pertinere. Quid vero in lacuna narratum fuerit, prorsus ignoramus; ergo etiam quid anno 15 factum sit. Quae vero ante anni numerum in titulo exponuntur, eas res tempore plane diverso, anno fortasse aliquo priore, gestas esse conicere licet. Quare cum ex hac stela de nuptiarum tempore nihil consequatur, tertia inscriptio nobis respicienda est, cuius notitia eidem Wiedemanno Philolog. I p. 84 debetur. In columnae cuiusdam Heroonpolitanae lineis 15—16, ut Wiedemannum sequamur, haec exstant verba: „Im Jahre 12 „im Monate Pachons unter der Regierung des Philadelphos. „Es durchzog seine Majestät Aegypten mit der wirklichen „Fürstin, der Geliebten .... der königlichen Gemahlin, der „Herrin beider Länder, der Tochter und Gemahlin ... eines Ptole-„maios, der Philadelphos. Er näherte sich dem Nomos von „Heroonpolis, der Stadt ihres Vaters Tum, erwägend mit sei-„ner Schwester, der Gattin und Schwester des Tum (d. h. des „mit dem König identificirten Localgottes von Heroonpolis), um „zu schützen Aegypten gegen das Ausland". Iure inde Wiedemannus docet (v. p. 90) matrimonium inter Philadelphum et Arsinoen in aut ante annum 273 cadere [65]).

Restat inscriptio Copti inventa, de qua Revillontius (Rev. Egypt. I p. 11 not. 1) haec adnotat: „un proscynème funéraire „démotique fait par quelque officier de Lysimaque, qui avait „accompagné sa veuve (Arsinoen II) en Egypte, porte: Déesse, „dame d'Asur, donne la vie à Lysimaque, le frère des rois, le „Sardique. — An 7" (mens. Tybi i. e. a. 278 si Philadelpho regnante titulum esse scriptum probatum erit). Post eum Krallius p. 40 = Sitzungsber. p. 366 et Wiedemannus Philol. I p. 90 not. 7 de his verbis disputaverunt; Krallius Revilloutii versionem correxit (p. 42 = 368); tertiae enim lineae vocem „srtikos" rectius interpretatur per *στρατηγός*. Si Revilloutii interpretatio recta sit, egregie cum iis, quae supra exposuimus, congruat; anno enim 278 Arsinoen II in Aegyptum venisse hac

[65]) cf. etiam Susemihl Hist. litt. Alexandr. I p. 207 not. 29. Errat igitur Wilamowitzius, qui Arsinoen nupsisse fratri anno 271 opinatur Ind. schol. Gotting. hib. 1885/6 Lection. epigr. p. 8.

inscriptione confirmetur. Revilloutio oblocutus est Krallius, qui titulum aetate Euergetae (a. 240) conscriptum esse putat. Lysimachum vero illum esse Euergetae fratrem et sec. tituli verba strategum Copti, quem in locum Thebaidis olim Arsinoe I relegata erat a Philadelpho (Schol. Theocr. XVII 128). Sed quam incerta Krallii argumenta sint, Wiedemannus l. a. p. 90 not. 7 demonstrat; negat omnino adhuc fieri posse, ut annum 7 cuiusquam regno tribuamus. Quare haec missa faciamus. — Atque ut omnia breviter complectar: intra annos 276 et 273 Philadelphus Arsinoen II uxorem duxit. Ad idem tempus, alia tamen ratiocinatione et minus firma commotus Gerckius M. Rh. XLII p. 606 pervenit. Existimabat enim ap. Theocr. XVII 55—56 Achillem Aeacidam esse Pyrrhum Aeacidae filium († 272); quod quamquam posse ita se habere concedo, tamen ex Theocriti versibus non elucet, utrum Pyrrhus tum vivus an mortuus sit.

4. De Euergetae cooptatione.

Quod Wiedemannus commentatione sua priore (Mus. Rh. XXXVIII p. 384 sq.) cum Philadelphi nuptiis coniungendam esse Euergetae cooptationem sec. Suid. s. v. *Καλλίμαχος* dixit, probari non potest, neque enim Arsinoe aetate iam provectior Philadelpho liberos, qui cum illo de regno possent certare, peperit[66]) et Philadelphus iam ex Arsinoe Lysimachi filia praeter Ptolemaeum Euergetam duos sustulerat liberos (Schol. Theocr. XVII 128) Lysimachum et Berenicen. Itaque si Euergetam cooptare in animo habuit, id certe fieri debuit aut postquam Lysimachus natus est, aut cum omnes tres liberi ab Arsinoe II adoptarentur; nam ille regnum appetere atque ut antea Ptolemaeus Ceraunus Philadelphi, ita tum Euergetae successionem in discrimen et controversiam vocare solus potuit. Itaque Euergetae cooptatio non cum Arsinoes II et Philadelphi conubio sed cum adoptione liberorum Arsinoes I ab altera Arsinoe post nuptias facta (schol. Theocr. XVII 128) coniungenda est[67]).

[66]) Schol. Theocr. XVII 128; Pausan. I 7 extr., Wilamowitz Antig. p. 225 not. 48.

[67]) Iam ante Wiedemannum Buechelerus M. Rh. XXX p. 55 sub annum 263 cum Philadelphus cum Maga Cyrenaeo pacem ita constitueret, ut Euergetae filio suo Berenice desponderetur spesque Lagidis fieret recuperandi Cyrenas, legitimum Philadelphi filium et heredem Euergetam agnitum esse dixit. Sed ut concedam Suidae verba recte se habere atque ad cooptationem referenda esse, haec praeterea in memoriam revocanda sunt. Ptolemaeus Lagi, qui anno 283 mortuus est, contra ius gentium minori natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradidit (a 285, cf. Iustin. XVI 2), ipse autem regno publice filio tradito privatus inter satellites regi officium fecit. Philadelphus igitur a patre cooptatus, ut successio regni firma atque tuta esset a

Aliis argumentis Krallius (l. a. p. 30 = 356 sq.) Wiedemannum, qui Suidae testimonium s. v. *Καλλίμαχος* Euergetam ol. 127 = 271/6 *ἄρξασθαι τῆς βασιλείας* [68]) cum inscriptione stelae Mendesiae falso coniunxit, refutavit. Tituli enim Aegyptii, quibus Wiedemannus usus est quosque Philadelpho et Euergetae attribuit (Revilloutius. qui eos ediderat, falso Soteri), exhibent regni annos 19 et 21 Ptolemaei Ptolemaei filii eiusque filii Ptolemaei (i. e. Philadelphi et Euergetae) et annos 8, 10, 33, 36 Ptolemaei Ptolemaei filii i. e. Philadelphi, omisso nomine Euergetae eius filii. Ergo Euergetes a. 267/6 et 265/4 iam cooptatus erat, at a. 278/7, 276/5 nondum et a. 253/2, 250/49 non amplius commemoratur. Wiedemannus mirabilem hanc rem eo explicat, quod Euergetas statim post nuptias cooptatus sit, at (a. 253) post Arsinoae mortem regni heres non designetur, cum periculum non iam fuerit, ne filius quidam Arsinoes II regnum peteret. Contra eum Krallius p. 31 = 357 attulit papyrum Leidensem nr. 379, in qua notatur annus 29 (mens. Tybi = 257/6) regis Ptolemaei, Ptolemaei Soteris divi filii et canephoros quaedam Arsinoes Philadelphi commemoratur. Inde secundum Wiedemanni doctrinam effici Arsinoen iam ante diem 26 mens. octobr. 257, quo tempore Philadelphi annus 29 incipit, mortem obisse; Droysenum vero aliis argumentis [69]) comprobasse Arsinoen non multo ante Philadelphum mortuam esse. Accedit altera inscriptio a Krallio (p. 32—34) adhibita, in qua narratur anno 26 regis Ptolemaei, Ptol. Soteris divi filii (= 260/59) statuas regis et Arsinoes positas esse. Id unum in dubium vocari potest, utrum annus 20 an 26 dictus sit; sed cum annis 19 et 21 Philadelphi cum rege alter Ptolemaeus (scil. rex designatus) commemoretur, mirum esset, si id anno 20 factum non esset; quare annum 26 legendum esse, idemque consequi ex cognomine Soteris Philadelphi patris. Etiam hoc titulo Arsinoen vivam dici Krallio eo

Ptolemaeo potissimum Ceranno fratre maiore natu ideoque legitimo herede, per duos annos auspiciis et consilio fratris Aegypti regnum obtinebat, nam patre vivo nemo ab illo defecit neque ulla seditio orta est. Similiter Ariobarzanes paulo ante Mithridatis patris mortem (a. 266) ab hoc in regnum cooptatus est (cf. ea quae supra p. 694 diximus). Quare cum non raro fieret, ut pater filium hoc modo successorem destinaret, hoc etiam a Philadelpho institutum esse ex Suidae verbis concludi poterat, quare Euergetes cum cooptatus esset a patre *ἤρξατο τῆς βασιλείας*. Sed ne mireris, quod tam multo ante mortem suam filium heredem instituit, monendum est Philadelphum cum regnum reciperet viginti quattuor annos natum fuisse (Droysen. p. 264). Itaque cum Euergetam cooptaret, si annum 271/0 accipere lubeat, paene aetatis annum quadragesimum agebat, quare mature vel potius in tempore Euergetam in regnum cooptavit, quamquam hic admodum puer erat, nam Arsinoe Lysimachi filia, mater Euergetae, a Philadelpho 282/1 ducta erat.

[68]) cf. etiam Koepp. p. 211 not. 1, Rannow. p. 6, Gerck. p. 613, 2.

[69]) cf. etiam Wiedemann. p. 387.

libentius credo, quod Ptolemaeus, in cuius honorem simul cum Arsinoe statua dedicatur, tum certe vivebat [70]. Quare cum a. 278/7 et 276/5 (8 et 10) Ptolemaeus solus, a. 267/6 et 265/4 (19 et 21) Ptolemaeus simul cum altero Ptolemaeo, a. 260/59, 257/6, 253/2, 250/49 (= 26, 29, 33, 36) iterum solus nominatus sit, Krallius, aliis etiam causis motus, alterum hunc Ptolemaeum, qui a. 267—264 rex designatus est, omnino non fuisse Euergetam, sed Philadelphi et Arsinoes II filium voluit (p. 35—38 = 361—364). Cum Krallius et Gerckio et mihi hoc ita se habere persuasisset, eodem tempore et Gerckius [71] et ipse [72] coniecimus regem designatum filiumque Ptolemaei et Arsinoes II fortasse neminem esse nisi Ptolemaeum, qui postea Ephesi a patre defecit [73]. Wiedemannus (Philol. I p. 86) contra Gerckium negat causam inveniri, cur ille cooptatus sit; sed haec argumentatio concidat, si eum Arsinoes filium fuisse statuamus. Ea quoque argumenta, quae Wiedemannus (p. 86) contra Krallium profert, negans omnino fieri potuisse, ut Philadelphi et Arsinoes infans existeret, infirmissima sunt; Sotadae enim eiusque versuum non habuit rationem. Cur vero Krallii expositio gravissimas praebeat difficultates offensionesque, Ind. Philol. XVII p. 129 ostendi; eodem enim fere tempore, quo in titulis alter Ptolemaeus exstat, Magas Berenicen filiam despondit Euergetae, ut pax sibi fieret cum Philadelpho. Veri igitur similius est Euergetam, non alterum Ptolemaeum, a patre cooptatum esse.

Nova de cooptatione testimonia inscriptionum Wiedemannus Philolog. I p. 87 protulit. Quod prius cooptationem cum conubio coniunxit, ipse revocavit (p. 85); redarguitur enim haec opinio stela Heroonpolitana, qua comprobatur illam iam ante annum 273 aut eo ipso anno esse factam, quocum Suidae verba non iam congruunt, si quidem ad cooptationem referri debent [74], pergit autem haec ad Euergetae cooptationem referre ita ut a. 271 (rectius 271/0 = ol. 127, 2) eum cooptatum esse statuat, atque facere non possum quin concedam Wiedemanno contigisse, ut plurimas dubitationes, quas Krallius moverat, mea quidem sententia auferret (cf. impr. pp. 87—90). Causas vero cur regni consors et heres modo nominatus modo omissus sit, nos quidem nescire dicit (p. 89). Ostraca igitur Thebis inventa, quae sec. Wiedemannum praeter Philadelphum alterum regni consortem

[70]) Iniuria igitur Wiedemannus Philolog. I p. 87 not. 4 hanc inscriptionem ad regum chronologiam et Arsinoes vitam respici non posse dicit.

[71]) cf. Mus. Rh. p. 273.

[72]) Philol. Anz. XVII p. 129.

[73]) cf. Trog. Prol. XXVI, Athen. XIII p. 593; nothum eum fuisse, nescio qua causa motus, Droysenus dicit Epig. I p. 275 not 1, p. 320, p. 329—330.

[74]) Fieri vero posse, ut Euergetes a. 270 ab Arsinoe II adoptatus, cooptatus a Philadelpho sit, equidem non negaverim.

commemorant, annis 21, 22, 24 (= 265/4, 264/3, 262/1) conscripta sunt; at annis 27, 29, 30 (= 259/8, 257/6, 256/5) deest regni consors. In inscriptione Heroonpolitana (Wiedem. p. 84) annus 12 = 273/2 Ptolemaei solius est.

Quare ut omnia inscriptionum testimonia hic coniuncta apponamus, ordo regum eiusmodi exhibetur:

Regno Ptolemaei, Ptol. filii, tribuendi sunt anni 8, 10, 12;
Regno Ptolemaei, Ptol. fil., et Ptolemaei filii — 19, 21, 22, 24;
Regno Ptolemaei, Ptol. filii, — — — 26, 27, 29, 30, 33, 36;
Ergo Philadelphi unius fit mentio annis 278/7—273/2 et 260/59 —250/49 = ol. 125, 3 — ol. 126, 4 et ol. 130, 1—132, 3;
Philadelphi et filii eius annis 267/6—262/1 = ol. 128, 2—129, 3.

Ex his numeris nonnihil lucrari licet. Apparet eo tempore, quo Arsinoe I coniunx Philadelphi erat, et intra illud temporis spatium, per quod Arsinoe II in Aegypto iam morabatur, tum cum nondum Philadelpho nupserat, Euergetam Philadelphi parvolum filium non regni heredem pressis verbis destinatum esse; videtur igitur Philadelphus, priusquam sororem uterinam in matrimonium duceret, intra annos 277 et 273 cum hac egisse et constituisse, quis sibi in regno succederet; tum demum, postquam res ei cum sorore convenit, nuptiae factae sunt; quam ob rem illis annis Euergetae nomen nondum in titulis exstat. Post nuptias vero Philadelphus, fortasse cum sibi spes erepta esset se ex illa liberos sublaturum esse, Arsinoae II imperavit, ut prioris Arsinoes liberos adoptaret. Deinde Euergetae nomen imprimis in Thebaidos titulis, quo eius mater olim relegata erat, simul cum patre nobis occurrit atque id quidem temporibus belli Syrii et Chremonidei, res mehercle non neglegenda. Postremis vero Philadelphi annis (260—249; ergo etiam usque ad annum 247, quo Euergetas regnum obtinuit) — quid fuerit causae ignoramus — Euergetas non amplius ut regni consors in titulis numeratur.

Sed ad Theocriti Encomion tandem redeamus! Haec igitur temporum series evenit:

annis fere	280—275	Magae Cyrenaei defectio.
	280—278	Nechonis fossa restituitur.
	266—263	Bellum Syrium.
intra a.	276—273	Philadelphi cum Arsinoe conubium.
a.	271—270	(?) Euergetae cooptatio.

Iam videamus num quid ex Theocriti carmine cum his temporum notis comparato erui possit. Vs. 86 sq. dicitur:

καὶ μὴν Φοινίκας ἀποτέμνεται Ἀρραβίας τε
καὶ Συρίας Λιβύας τε κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων,

Παμφύλοισί τε πᾶσι καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσιν
σαμαίνει Λυκίοις τε φιλοπτολέμοισί τε Καρσίν
καὶ νάσοις Κυκλάδεσσιν ἐπεί οἱ νᾶες ἄρισται
πόντον ἐπιπλώοντι· θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα
καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ.

Possidet igitur Philadelphus partes Phoenices, Arabiae, Syriae, Libyae, Aethiopiae; reliquas regiones totas regit. Intellegendae autem sunt Palaestina, Arabia Petraea, Coele Syria, Marmarica, Aethiopiae pars Aegypto finitima. In marmore Adulitano[75]) ex his terris Phoenice, Syria, Libya ut a patre Euergetae hereditariae traditae enumerantur, in Aethiopum finibus Euergetas iam cum patre elephantos venabatur. Arabia vero Petraea, quae iam a primo (sub Ptol. I) ad Aegyptum ipsam referebatur (Iustin. XIII 4) nunquam a Ptolemaeis I et II expugnata est; de expeditione Arabica nihil constat[76]); sin aliter, Arabiae aut in marmore Adulitano facta esset mentio inter eas terras quas Euergetas a patre accepit, aut, si non accepit, a Syris ullo tempore expugnata esset, id quod re vera non factum est. Verbum *ἀποτέμνεσθαι* apud Theocritum non pertinere ad bellicosam expeditionem novissimus Rannowius diss. p. 15 et 16 ostendit[77]). Totum enim carmen, quod otium, quietem, securitatem redolet, pacis tempore compositum est. Praeterea illud verbum non cum accusativo, id quod ad bellum referri possit, sed cum genetivo coniunctum invenimus. Iam inter omnes constare puto hoc idyllium ante pugnam ad Leucollam Coi promunturium, intra annos 263 et 260 (ol. 129, 2 — 130, 1), Athenis paene aut iam expugnatis (a. 261)[78]), commissam, qua pugna Philadelphus Cycladum, quae antea Ptolemaeis paruerant[79]), imperium amisit (Bull. de Corresp. IV 211 de Delo), compositum esse[80]). Lycia vero et Caria semper in dicione Philadelphi

[75]) v. e. gr. Hicks Manual of Greek historical inscr. nr. 173 p. 296: *Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος υἱὸς βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης, θεῶν ἀδελφῶν, τῶν βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης θεῶν Σωτήρων . . . . παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Λυκίας καὶ Καρίας καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἐξεστράτευσεν εἰς τὴν Ἀσίαν μετὰ . . . . . καὶ ἐλεφάντων Τρωγλοδυτικῶν καὶ Αἰθιοπικῶν, οὓς ὅ τε πατὴρ αὐτοῦ καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν χωρῶν τούτων ἐθήρευσαν.* In altero etiam titulo (Hicks nr. 179 p. 311) Syriam, Phoenicen, Cyprum Euergetae subiectas invenimus.

[76]) Errat Haulerus p. 19 b.

[77]) cf. Hiller. Bursian. Jahresber. 1888 (LIV) p. 198. Brinkero quidem (De Theocr. vita Rostoch. 1884 p. 6) Theocritus bella illa duo, Cyrenaicum et Syrium, quasi digitis monstrare videtur.

[78]) cf. Wilamowitz Antig. Caryst. p. 229 et 253.

[79]) Bull. de Corresp. Hell. IV p. 327 sq.

[80]) Leucolla, quod nomen saepius exstat, etsi in Coo insula eius postea non fit mentio, id insulae promunturium est, quod ad orientem vergit in conspectu Triopii Apollini sacri, cui post pugnam Antigonus

manserunt, cuius rei testis est titulus Adulitanus, quo Euergetae eas a patre relictas esse satis docemur; Pamphyliam Ciliciamque ab anno 248 Antiochus II obtinuit. Compositum est Encomion praeterea post annos 280—275 i. e. post Magae defectionem; Cyrenes enim non fit mentio in eo; at ante annum 266, quo bellum Syrium incipiebat [81]), et ante Euergetae, cuius nusquam fit mentio, cooptationem (270?). Denique ex vss. 128—134 sequitur, ut Theocritus Encomion non multo post conubium (276—273) conscripserit [82]). Ceterum Rannowii opinio carmen cadere in annos 270—266 stela Heroonpolitana a Wiedemanno postea edita refellitur; falsa enim conclusio illum pellexit; nam terminus ante quem nuptiae factae, idem non est terminus, post quem Encomion est scriptum. At non ad ipsas nuptias Encomion compositum est, hymenaeus enim non est [83]). Adhuc igitur veri manet simillimum, id quod iam ante sex annos dixi (Carm. fig. Gr. p. 56), Encomion Ptolemaei scriptum esse ol. 127, 2 = 271/0 (fortasse etiam ol. 127, 1 = 272/1) [84]). Confirmatur hoc tempus comparatione Hieronis Theocritei. Ad hunc priusquam transeamus, opus est nonnullas alias difficultates, quae in Encomio Ptolemaei latere videntur, dissolvere.

In eo quod Cyprus a Theocrito non commemoratur inter Philadelphi possessiones, multi offenderunt [85]); quae res quomodo explicanda sit a Gerckio M. Rh. p. 604 et a nobis Philol. Anz. XVII p. 129 satis dictum est. Cum vero Wiedemannus (Philolog. I p. 86 not. 3) iterum de Cypri defectione verba faciat atque huius defectionis tempore Theocriti Encomion scriptum esse opinetur, hoc loco breviter repetere liceat Cyprum nunquam re vera defecisse (Paus. I 7, 1 *ἀφιστάντα* de conatu), cum nummis insulae declaretur per omnes annos continuos eam

navem triremem dedicavit (Moschion. ap. Athen. V p. 209 e, cf. Benndorf Samothrac. p. 84 sq.); huic enim promunturio deesse nomen Olivier Rayetus docet (Mémoire de Cos p. 82). Per ludibrium Apollini Triopio navem dedicasse Antigonus videtur; nam collis Triopis ab eius adversario Philadelpho, cuius in potestate Caria erat, maxime colebatur; cf. Theocrit. XVII 68—69 c. schol. et Herodot. I 144.

[81]) cf. et. Gerck. M. Rh. XLII p. 605 not. 4.

[82]) cf. quae dixi Philol. Anz. XVII p. 128 contra Rannow. p. 7—10; Gerck. p. 273, 2; Susemihl Hist. litt. Alex. I p. 206—207.

[83]) Similiter Callimachus hymno in Iovem (vs. 58 sq.) ante nuptias composito, Philadelphi cooptationem celebrat, compluribus annis post a. 285, quo anno a patre in regni societatem ascitus est.

[84]) Facit nobiscum Susemihl. Anal. Alex. chronolog. I p. XVIII. Idem Anal. Alex. chronol. II in tabula p. XXVIII annis 274—270 Theocriti Hieronem; annis 272—267 Ptolemaeum tribuit. Prorsus a vero aberravit qui Haulerum secutus est Augustus Couat La poésie Alexandrine p. 39.

[85]) Hauler l. a., Droysen p. 319, 1; Buecheler M. Rh. XXX p. 56. Rannow. p. 9.

in Philadelphi potestate mansisse; etenim ab annis 284 — 247 Philadelphi nummi cum regis nomine et annis 13—50 Lagidarum Cypri cudebantur [86]). Si quis vero eam apud Theocritum desideret, is respiciat versum 104, ubi Theocritus Philadelpho maxime curae esse praedicat πατρώια πάντα φυλάσσειν [87]). Quare cum Philadelphus eam insulam iam a patre accepisset et ipse quoque postea Euergetae hereditariam traderet, Theocritus neque regem Κύπρου ἀποτέμνεσθαι dicere neque eam in regis opibus enumerandis nominatim afferre debuit. Cur enim operae pretium erat, eius facere mentionem, quae ad Aegyptum pertinebat?

Etiam Cyrene in Philadelphi provinciis id. XVII enumeratis desideratur (Wilamow. Antig. p. 219 not. 40). Quam provinciam Philadelphus etsi a patre acceperat, tamen et Magae defectione et bello Cyrenaeo-Syrio amiserat, deinde pace facta in spem saltem eius recuperandae adductus erat. Theocritus autem regi in odium et iram certe venisset, si Cyrenaicam, quam a patre relictam Philadelphus servare non potuit, verbo commemorasset. Itaque ambagibus usus caute et timide dixit Λιβύας ἀποτέμνεται, ut aliquid saltem laudandum afferret. Quid Libya sibi velit, iam supra expositum est. Est regio inter Aegyptum ipsam et Cyrenaicam. Omnino autem difficile est Cyrenaicae fines accuratius definire (Thrige p. 127 § 33 extr.). Quodsi traditum est Marmaridas Libyum gentem a Maga Cyrenaicae praefecto defecisse, efficitur illos sub eius dicione fuisse; sed utrum hanc Libyae partem, quam tum incolebant Marmaridae nomades, Magas iam a Ptolemaeo I acceperit (Thrige p. 222 § 59) an postea demum expugnaverit, plane incertum est; certe inde colligi non potest eam partem etiam nomine ad Cyrenas pertinere ita ut in idyllio Theocriteo Libya pro Cyrenis scripta sit. Libya autem Philadelphi aetate in quattuor partes erat divisa, quarum una, quae Cyrenaicae finibus adiacebat, in Cyrenensium (Thrige p. 120 im. § 32), in Aegyptiorum altera, tertia in Carthaginiensium potestate erat [88]), quarta libera erat respublica, id quod nummis demonstratur [89]). In marmore igitur Adulitano iure Cyrene omissa est, Libya autem ut a patre Euergetae relicta commemoratur, unde apparet etiam apud Theocritum Libyam a Cyrene discernendam esse.

Versus 43 sq. ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰεί, ῥηίδιοι δὲ γοναὶ τέκνα δ' οὐ ποτεοικότα πατρί cum versibus 34 sq. Berenices Philadelphi matris laudibus opponantur, cum Hempelio

[86]) cf. Schledehaus. in Grotii Stud. Numismat. 1862 II p. 882 et p. 904—907 catalog. coll. p. 872 not. 13 contra Eckhel. Doctrin. num. IV p. 394 et Champoll.-Figeac p. 33.

[87]) cf. Hiller. Jahresber. 1888 p. 196.

[88]) Thrige p. 121; Theocr. XVI 77 Φοίνικες οἰκεῦντες Λιβύας ἄκρον σφυρόν, quo loco Libya paene pro Africa dicitur.

[89]) Droysen. Epig. I p. 325, 1.

p. 95 et Koeppio M. Rh. XXXIX p. 209 bene ad Eurydicen referuntur [90]). Cavendum tamen est, ne nimium his versibus tribuamus; Theocriti animo fortasse obversabantur similes aliorum poetarum versus, velut Sophocl. Oedip. Colon. 1192. Versus 53 sq. utrum ad certas personas spectent (Droysen. p. 324, 1 Gerckius p. 606) necne, nescimus. Nicomedes, quem Gerckius vult, neutiquam in Diomede latet, neque enim ulla tum inter illum et Philadelphum intercedebat ratio; inepta igitur esset eius mentio.

Transeamus ad Hieronem. Initio (vs. 1—4) semper a Musis et poetis non modo deorum immortalium sed etiam hominum fortissimorum laudes exornari affirmat Theocritus. Itaque quod Gratiae suae (τὰ οἰκεῖα ποιήματα schol.) praeter opinionem non benigne receptae sint, conquestus, in hominum aequalium animos et avaros et a Musis alienissimos vehementer invehitur (5—21). Neque enim quidquam esse praeclarius quam memoriam nominis sui apud posteros consecrare, id autem fieri nisi per poetas non posse. Quare divitias quaerere stultum et inutile esse, praesertim cum male locentur; avarum ἀεὶ πλεόνων ἔχοι ἵμερος (vs. 65, cf. Horat. C. III 16, 17), poetae vero honorem et hominum amicitiam pluris quam divitias aestimanda esse. Itaque se commendat et offert (v. 68) Hieroni, ut se in amicitiam et fidem accipiat, pollicitus se eius famam per totum orbem terrarum illustraturum esse (73). Postremo petit a Gratiis suis, ut sibi et carminibus suis hominum animos concilient.

Hoc carmen a Theocrito compositum est circa ol. 126, 4 = 273/2 [91]), certe post annum 274 et ante Encomion Ptolemaei. Vahlenum nemodum refutavit [92]). Eum qui hoc conatus est, Belochium [93]), iam Rannowius, Vahleni assecla, p. 2—5 aptis argumentis ad absurdum deduxit. Pauca his addam. Versus 76 sq. ad Hieronis bellum cum Poenis futurum, non cum Mamertinis gestum spectare, apparet vel caecis. Vss. 82 sq. αἲ γὰρ ἐχθροὺς [94]) ἐκ νάσοιο κακὰ πέμψειεν ἀνάγκα Σαρδόνιον κατὰ κῦμα sententiam exhibent: abeant eo unde venerunt hostes [95]). Belochius in eo potissimum offendit, quod vss. 76—

[90]) cf. Wiedemann. Philolog. I p. 86, Hiller. Jahresber. 1888 p. 198. — Gerckius p. 272 et p. 603 not. 8 vera et falsa confudit; una tantum persona notari potuit, non simul Eurydice et Arsinoe I.

[91]) cf. Vahlen. Berl. Sitzungsber. 1884 XXXVI p. 836 sq. Carm. Figur. Gr. p. 56 et 57, Hiller Jahresber. 1888 p. 194—195.

[92]) cf. etiam Susemihl. Anal. Alex. chronol. II p. IV, Kuiper. De Theocriti carmine XVI in Mnemosyn. vol. XVII (1889) p. 378—387, Susemihl. Hist. litt. Alexandr. I p. 203 sq.

[93]) Nov. Annal. 131 p. 366—368.

[94]) scil. Poenos, qui olim ab insula Sardinia prius occupata in Siciliam venerant (Hauler. p. 26); nam Mamertinos iam vicisse videtur Hiero.

[95]) de mari Sardonio cf. Polyb. I 42, 6.

87 non ante pugnam ad Longanum scribere potuerit poeta. Quin etiam libenter ego concesserim versus 73—75 *ἔσσεται οὗτος ἀνήρ, ὃς ἐμεῦ κεχρήσετ' ἀοιδοῦ ῥέξας ἢ 'Αχιλεὺς ὅσσον μέγας ἢ βαρὺς Αἴας ἐν πεδίῳ Σιμόεντος* in pugnam ad Longanum flumen commissam referri posse, etiamsi eae quoque res, quas Hiero deinceps gesturus est, significantur. Tum vero huius victoriae tempus alio modo definiendum est ita ut Theocritus Gratias in eo ipso intervallo post victoriam et antequam regium nomen assumpsit Hiero, scripserit; nam Gratiarum tempus fixum est et de gravioribus indiciis dependet quam incerto illius victoriae tempore, praesertim cum aequo iure dici possit (Rannow. p. 3) eam omnino apud Theocritum non tangi. Sed ne mireris, quod postea rex cum iisdem Poenis, in quos Theocritus invehitur, foedus fecit, monendum est Romanos, quibus antea contra Rheginos sive copias auxiliares sive frumentum miserat [96]), cum decrevissent Mamertinis Hieronis hostibus subveniendum esse eius animum vehementer offendisse. Utut res se habet, Gratiae, id quod ex comparatione utriusque carminis apparet, ante Ptolemaei Encomion scriptae sunt; accedit, quod totum genus dicendi et usus metricus in utroque carmine idem est; eadem saepe verba sententiasque usurpat poeta, cf. e. gr. *Μουσάων ὑποφῆται* XVI 29; XVII 115; XVI 30 et XVII 21; XVI 41 et XVII 47, 49 (*συγγ. 'Αχέρ.*); XVI 33 et XVII 13 al. [97]). Ergo eadem fere etiam aetate videtur utrumque carmen confectum esse. Hanc artam temporis et formae rationem, quae est inter utrumque carmen, non respexit Gerckius p. 270 et p. 606—607, qui ad ea, quae Vahlen. p. 842 et Rannow. p. 10—12 exposuerant, nihil respondit. Apud Hieronem Theocritum repulsam tulisse (Gerck. p. 607) aut regis favorem amisisse nemo contendit; bene fieri potuit, ut Theocritus etiam multo post id. XVI iterum in Siciliam veniret. Quare adhuc fieri non potest, ut meam expositionem (C. F. Gr. p. 56—57) abiciam. Theocritus igitur a. 276/5 Fistulam Coi composuit, inde ad Antigonum profectus videtur esse a. 275 [98]); tum in Siciliam se contulit (273/2).

[96]) a. 271; cf. Droysen p. 182, Holm. hist. Sicil. II p. 290; fortasse Mamertinis iam devictis.

[97]) v. Philol. Anz. XVII p. 129 sup., Gerckium p. 614 not. 1.

[98]) Hoc non solum e Fistula (Philolog. XLIX, N. F. III, p. 658—659), sed etiam e Theocr. XVI 5—7, 34 sq., 68, 106—107 consequitur. Gerckius ipse quoque p. 611 sup. de Macedonia cogitavit (cf. etiam Hiller. Jahresber. 1888 p. 196 im.). Ceterum quae idem p. 611 sq. de Thalysiis profert, probari non possunt. Sero demum Theocritus scripsit Thalysia id quod e comparatione cum Fistula apparet. Alexandriae sunt scripta (C. F. G. p. 55, 3), quamquam res quae ibi narrantur Coi factae sunt: item necesse non est statuere id. XIV in Sicilia scriptum esse, etsi *τὰ πράγματα ἐν Σικελίᾳ* videntur agi, quae res Rannowium p. 19 fefellit (cf. Hiller. l. a. p. 192). Gerckius ut probaret, Thalysia circa annum 276 confecta esse, finxit aliquando discordiam

Sed cum in Siciliam pervenisset atque ibi nihil nisi anarchiam, bella, seditiones, vastationes conspexisset, nonne consentaneum est eum in Philadelphum et Alexandriam oculos suos intendisse, ubi et studia litteraeque florebant et princeps regnabat is, cui potissimum pax et otium curae erat quique consilio foederibusque fines augere maluit quam bello? Fortasse a Philadelpho ipso invitatus est, ut Alexandriam veniret, regi commendatus per Philetam vel per Zenodotum.

Sed iam aequo fusius uberiusque me comprobasse spero Hieronem Theocriteum scriptum esse circa annum 273/2, Ptolemaei Encomion anno 271 i. e. post Hieronem, non multo post nuptias — hae igitur propius ad annum 273 quam ad annum 276 accedunt —, ante Euergetae cooptationem.

inter Theocritum et Philadelphum ortam esse, quae coniectura per se incertissima, incertissima deinde interpretatione complurium locorum nititur. Alexandriae Thalysia scripta esse concedo, Fistulam, quae Coi composita est, nego (Gerck. p. 611 not. 5); sed Theocritus famam poeseos suae ad regiam sedem permanasse etiam ultimo vitae tempore dicere potuit. Arati commemoratio eiusque hymni in Panem (v. 102 sq., Gerck. p. 611) cum certamine Coo et Syringe coniungenda est (Carm. fig. Gr. p. 55). Quod vero in Amyntae nomine (Thalys. v. 2) Philadelphum offendere potuisse, quia Amyntas quidam cum Arsinoe I relegatus est, Gerckius dicit, ridiculum mihi videtur, cum nomen ficticium sit; (Philolog. N. S. III p. 660); praeterea ut omnino tale nomen odiosum fuisse — quidni etiam Arsinoes nomen? — concedam, certe odiosum esse non iam potuit, si Thalysia multo posterius esse scripta statuimus. Similitudinem denique cum Callimachi hymnis VI et IV in Thalysiis exstare prorsus nego; iis saltem locis, quos G. p. 625, 2 enumerat (Call. VI 44 et Thal. 157, VI 92 sq. et Th. 76; Th. 77 et C. IV 174; Th. 47 et IV 252), nihil probatur. Ceterum, id quod Gerckium fugisse videtur, certum exstat testimonium Philinum Coum, cuius in Thalys. vs. 105, 118, 121 fit mentio, in stadio vicisse ol. 129 et 130 (cf. C. F. G. p. 54, 6), quo omnes Gerckii de Thalysiorum aetate coniecturae concidunt. Ad XVII 57 *ἀρίζαλος Βερενίκα* = Callim epigr. 51, 3 (G. p. 593, Rannow. p. 50) cf. Kaibel. Epigr. 250, 1 Gratiae Erchomeniae XVI 104 (G. p. 596) imitatio allusioque ad Pindarum (Ol. XIV 4) est; XVI 106—107 tangitur proverbium *ἀκλητὶ κωμάζουσιν ἐς φίλων φίλοι* (Zenob. II 46).

Halis Saxonum. *C. Haeberlin.*